



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Cibi vice, Dei sacra Virgo, dulcedinem percipit diuinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Amarus & falsus est panis sudore vultus permixtus; sed Crucis lignum in panem missum (non quemadmodum à Iudæis toxicum, quo panis inficiebatur) ad Moyfis figuram, amaritiam pellit, nectar facit & ambrosiam. Cui enim non fiat dulce pati, pro eo, qui ut pati posset, homo factus est? Qui autem vicissim pro eo pati optant, pati gaudent, & spe condiunt amaritudinem laboris. Immo & Deus illis laborem condit, compensatque, quod tolerant, æternæ voluptatis cogitatione.

§. VI.

Cibi vice, Deo sacra Virgo, dulcedinem percipit diuinam.

Recito in hanc rem eiusdem authoris **Cæsar.** historiam. Ordinis sui cœtum, ait, fuisse Virginum Deo sacrarum. In eo, quæ penum curabat, promi condi loco, oua frixa, toto conuentu, diuiserat. Dum negotiosa est, dum fatagit rerum, vnam obliuione præteriiuit. Quid illa famelica? num impatiens facta, num ex odio se negligi suspicata est? num cellam execrationibus, sorores reliquas Diris impleuit, aut querelis? Nequaquam. Sed negligentia alterius, in suum meritum, vfa; sibi met, quod neglecta esset, gratula-

gratulata est; Deoque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico proemium virtutis. Nam summus ille paterfamilias, tanta os eius faucésque dulcedine compleuit, ut nunquam aliquid suavius, in omni vita sua, se meminerit, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo; sed menti insuper deliciae sese tam infunderunt copiosae, ut diceret, se omnibus eiusmodi esculentis, usque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodo adhuc semel, gaudiū animi simile liceret persentiscere. O quàm verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere, & abstinerere, qui gaudere paupertate, qui inopiā delectari; ei Deus & cocus est, & medicus, & opsonator. Adeo homines paupertate uti ad meritum, vel abuti ad impatientiam possunt; &, sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; ut aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari.

Psal. 67.
II.

§. VII.

Agroto agricola Deus fraga mittit:

Duo hic commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello,

R 2 non